M. ROBERTI HOVÆI SCOTI

DE

# Aeterna Dei Prædestinatione

APHORISMI THEOLOGICI

*Propositi ad publicam συζήτησιν in inclyta Academia Basiliensi:*

*De quibus respondebit XXV. Februarij*

PETRVS SCHOCKIVS BASILIENSIS.

---

*BASILEÆ, TYPIS OPORINIANIS, ANNO M. D. XCI.*

D Hetfeldio

*Clarissimis Viris,*

*Dn. ANDREAE MELVINO, SACRArum literarum in Academia Andreopolitana Professori doctissimo: &*

*Dn. Ia. IONSTONO, συμπολίτῃ meo & Fratri charissimo,*

ROBERTVS HOVARVS ABERDOnensis Scotus S. D.

BLACHBVRNVS noster, vir singularis doctrinæ, & collega olim tuus in Academia Glascuensi, ornatissime Melvine, multa mihi de præclaris tuis virtutibus & eximia eruditione sæpè & jucunde narrare solitus, effecit ut á multis annis jucundam tui memoriam conservarim: quæ sicut ex admiratione virtutis tuæ primùm nata est, sic illa indies augescente, & hæc in me aucta & confirmata est. Præclarum est honesto exterorum testimonio commendari: tibi, mi Melvine, quot auditores in schola Genevensi, in qua olim cum summa laude docuisti, tot & virtutum tuarum admiratores & prædicatores obtigerunt. Mihi quate propter communem patriam diligo, & singularem eruditionem suspicio & colo, hæc honesta nominis tui prædicatio ab aliis profecta non potest non esse pergrata. Amoris & observantiæ nostræ erga te testimonium, hanc Disputationem nostram, ex mandato summi Theologi, D. Ioan. Iacobi Grynæi, Præceptoris mei (tibi de nomine & scriptis jam pridem noti) institutam, esse cupio. Quam eo nomine spero tibi futuram gratiorem, quód eam & tibi & Ionstono, civi meo, homini doctissimo & tui studiosissimo, communiter inscripserim: ita ut habituras sis amoris mei erga utrumque vestrum, & utriusque nostrum erga te, commune monumentum. Ionstonum nostrum, quem brevi in patriam reversurum confido, spero te eo amore & benevolentia complexurum, ut quivis intelligat, te illas virtutes, quæ in ipso sunt singulares, quæq; tibi multorum animos conciliarunt, in aliis quoque non posse non exosculari.

Basileæ 16. Febr. 1582.

# De æterna Dei Prædestinatione Aphorismi Theologici.

## *Aphorismus primus.*

DE causis salutis & interitus humani generis dicturi, operæpretium nos facturos arbitramur, si à prima causa exorsi, per intermedias quasi per gradus quosdam descendentes, totam hanc doctrinam ex causis suis integrè explicatam, certis quibusdam aphorismis complectamur.

2. Causæ salutis & interitus humani generis (vel si mavis principia & gradus vocare) aliæ extiterunt ante tempora secularia, aliæ in vitæ tempora cadunt.

3. Ante tempora secularia, ut Prædestinatio, Electio, Reprobatio.

4. Prædestinatio, quę in Scriptura προορισμὸς vocatur, est æternum Dei decretum, quo Deus apud se constitutum habuit ante jacta mundi fundamenta, quid de unoquoque hominum fieri vellet. *Quid sit Prædestinatio.*

5. Prædestinationē à Providentia discernimus, tanquam speciem à genere: ita ut voce Prædestinationis in hac Disputatione intelligamus non decretum illud Dei de quavis re quam facturus erat, sed decretum de hominum exitu & fine. *Quomodo à Providentia distinguatur*

6. Προορισμὸς, πρόθεσις & πρόγνωσις ratione videntur potius differre quàm re. Nam quid potuit prædestinare, quod non antea sibi proposuit? & quid proponere, quod non antea præscivit? & quid præscire, quod non antea proposuit & prædestinavit?

7. Prædestinationis causa est Dei voluntas seu beneplacitum, in seipsum, nō extra se respiciens, volens gloriam nominis sui ita manifestari in creaturis suis.

8. Gloria hęc duplex est. 1. Gloria misericordię & amoris, ad quam electos prædestinavit: estq; hęc gloria non à nostra salute disiuncta, sed conjuncta. 1. Cor. 2. 7. 2. Gloria justitię Dei.

*Prædestinationem distinguit in Electionẽ & Reprobationem.*

9. Hinc Prædestinatio duplex est: *Electio & Reprobatio.*

10. Electio & Reprobatio per metonymiam effecti sic nõminantur: nam proprié hęc vocabula referuntur ad genus humanum jam cõditum, & lapsum, & peccato corruptum; metonymicé verò sic nominatur ipsum eligendi & reprobandi decretum.

*Quid sit Electio.*

11. Electio est prædestinatio quorundam hominum in Christo ad vitam ęternam, idq; ante jacta mundi fundamenta, ad declarationem gloriæ misericordiæ Dei: seu eligere, est gratis destinare adoptioni per Christum.

*Electionis decretũ non esse extra Christum quærẽdum.*

12. Electio ergo semper est in Christo, ne quis putet extra Christum esse electionem vel electos.

13. Electionis decretum per metaphoram dicitur *Liber vitæ* in Scripturis.

14. Quia non omnes eliguntur, sed quidam: & quidem, si eos (licet per se multi sint) cum multitudine reproborum conferas, pauci sunt: solent á Prophetis *relliquiæ* dici. Est ergo insulsa contradictio & περισσολογία dicere universalem esse omnium hominum electionem.

*Quid Reprobatio.*

15. Reprobatio est hominum á Christi communione rejectio, ad gloriam justitiæ Dei: seu est, qua Deus decrevit ab æterno in reprobis tanquam vasis ignominiæ gloriam justitiæ suæ patefacere.

*Reprobationis decretũ iustum esse, ideo nõ esse quòd quisquã litẽ intendat Deo. Aequitas decreti Reprobationis, tribus rationibus ostẽditur*

16. Qui Deũ vel crudelitatis vel injustitiæ propter quorundam hominum, quos justo exitio destinavit, reprobationem accusant; planè insaniunt, & eorum audacia intolerabilis est.

17. Nam cum Deus summum jus habeat in suas creaturas, tanquam figulus in lutum, an non æquum est, si res ita posceret, ut vel omnes homines totali suo interitu glorię Dei inserviant? Nihil interest, quicquid tandem de abjectissimis creaturis fiat, modó habeatur ratio Creatoris, cujus juri, majestati, gloriæ multó æquius est vel totum mundum suo interitu servire, quàm vel muscæ, vel cujusvis minutissimi animalculi cõtritionem, dignitati vel voluptati omniũ hominũ.

18. Nulli quoq; quicquam debet, quasi obstrictus sit, ut

hunc quoq; in quo vult oſtendere gloriam juſtitię ſuę, & juſto exitio & odio deſtinare, faciat vas ad decus.

19. Accedit & hoc, quód inter Dei decretum & decreti executionem interveniant ejuſmodi, quæ ſummam ipſius juſtitiam commendant: ita ut non antea reipſa odio habeat & damnet reprobos, quám peccarint: nec etiam electorum miſereatur, quám Chriſti obedientia interveniat. Quare ſi non poſſunt induci impudentes homines duabus illis prioribus rationibus, ne Deo obloquantur: ſaltem ad punctum temporis judicium ſuſpendant, donec intelligant quibus paſsibus ad gloriam miſericordiæ & juſtitiæ Dei perveniatur: quod ubi cognorint, mirabuntur tãtam fuiſſe Dei benignitatem, ut vel in uno dignatus ſit gloriam miſericordiæ ſuæ patefacere.

20. Cauſam Prædeſtinationis, id eſt, tã Electionis quàm Reprobationis, diximus eſſe beneplacitũ Dei, quo voluit gloriam miſericordiæ & juſtitię ſuę in hominum ſalute & interitu patefacere: quia Deus in harũ rerum cõſideratione extra ſe non progreſſus eſt: ideoq; nullam præſcientiam bonorum vel malorum operũ moviſſe Deum ut quoſdã eligeret, quoſdam reprobaret, ſed ſolum beneplacitum ipſius, quod nõ poteſt non eſſe juſtiſsimũ, auctiſsimum, optimum. Quia autem plurimum noſtra hoc ſcire intereſt, ut cõſtet nobis ſaluté noſtram eſſe gratuitam, age ſentẽtiam contrariam, qua fingitur nos eligi ad æternã vitam, vel ab ea rejici, quód Deus in quibuſdam fidem, in aliis incredulitatem præviderit, rationibus aliquot deſtruemus.

1. *Si Deus quoſdã reiecit propter mala opera præviſa, ita ut hæc præſcientia malorum operum cauſa ſit, quæ Deum movit ut quoſdam reijceret, reijcere debuit omnes: quia omnes in Adamo lapſuri erant in peccatum, & futuri hoſtes Dei, Quid ergo potuit præuidere boni in hoſtibus ſuis? Accedit quód omnes, quamdiu viximus, circumferimus peccatum. Et ſicut omnes reijcere ſeu reprobare debuit propter communem lapſum: ſic omnes eligere debuit propter præviſam integritatem. futuri enim erant omnes iuſti in Adamo, quia conditus eſt Adamus in integritate & ſanctitate vera, ideoq; nos in ipſo.*

Falſa quorũdam ſententia refellitur, qui dicũt, ꝓpter præviſa in quibuſdam bona, in aliis mala opera, hos exitio, illos ſaluti Deũ deſtinaſſe.

2. *Si Deus nos elegit ut ſancti eſſemus: non elegit nos quia ſanctos ex nobis*

nobis ipsis nos futuros prænidit. Verũ est autem priu. Ergo & posterius.

3. Electionis causã ponitur Christus, nempe extra nos. unde Ephes. 1. dicimur electi in Christo. Ergo causa electionis nec in nobis, nec in nostris operibus est.

4. Nulla bona opera ex hominibus, quatenus in se considerantur, manare possunt, ut constat ex consideratione miseriæ humani generis. Non ergo Deus ullã præscire uel præuidere in hominibus potuit, propter quæ homines debuit eligere. Recte Augustinus lib. 5. contra Iulianum: Deus non eligit dignos, sed eligendo dignos facit.

5. Moyses Iudæos alloquẽs, inculcat ipsis causam electionis eorum esse Dei amorem, non dignitatem ullam ipsorum, Deut. 4. item 7. item 10. & 23. cap. Malachias etiam ponit causam reiectionis Esaui, odium Dei: electionis Iacobi, amorem Dei.

6. Opera non possunt esse causa Vocationis: Ergo multò minus Prædestinationis: nam Prædestinatio præcedit Vocationem. Probatur antecedens ex Paulo 2. Tim. 1. 9. Vocati uocatione sancta, non ex operibus.

7. Si Prædestinatio ex operibus est, & Iustificatio quoq; erit. Nam Prædestinatio est causa uocationis: Vocatio Iustificationis. Atqui iustificatio non est ex operibus. Ergo nec Prædestinatio.

8. Bona opera sunt ex Electione tanquam effecta. Ergo non sunt electionis causæ.

9. Vita æterna est donum Dei, est hæreditas. Ergo non prædestinatur ad eam propter præuisa nostra merita.

10. Si electio penderet ex præuisa fide & bonis operibus, nulli infantes fidelium salui esse possent. Propter quæ enim merita eligi debebunt, uel in cœlum transferri? Non propter præterita, quia nulla habuerunt. Non propter futura, quia nulla habituri erant. Neq; propter præuisum bonum usum liberi arbitrii, quia ad illum non peruenerunt morte præuenti. Quid ergo? Nunquid prædestinauit eos propter merita quæ habituri fuissent, si uixissent? Quidam Pelagiani hoc dicebant: sed diluit Augustin. hanc exceptionem lib. 1. de Prædestin. Sanctor. cap. 12. & de Bono perseuerantiæ cap. 9. usq; ad 11. Nemo punitur uel præmium accipit pro iis malis uel bonis quæ facturus erat. & 2. Cor. 5. 10. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisq; reportet quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit uel bonum uel malum. ait Fecerit, non Facturus erat.

11. Si ex præscientia bonorum operũ est Electio: ergo non Deus nos elegit,

elegit, sed nos ipsum: uel saltem nos elegit, quia præuiderat nos prius ipsum electuros. At quis prior dedit illi ut retributionem accipiat? & quale est illud Christi, Non uos me elegistis, sed ego uos? Et obsecro, quomodo eligebat Paulus Christum quem persequebatur? Et quomodo pater credentium Abrahamus Deum? Hoc etiam argumentum Augustini est.

12. Paulus expressè dicit, nos ante tempora secularia fuisse electos; Iacobum & Esaum prædestinatos antequam quicquam boni uel mali fecissent, & reiectos: nec enim quicquam fecerant, cum nondũ essent nati: nec prædestinari poterãt propter ea quæ suis uiribus erãt facturi, quia hæc omnia futura erãt peccata: nec propter ea quæ ex S. sancti gratia facturi erãt, quia præterquam quód hæc ob carnis contagionem imperfecta & contaminata futura erant, cadunt etiam sub Prædestinationem, & sunt eius effecta.

13. Si alii eliguntur, alii reprobantur propter præuisam fidem & incredulitatem, quis fuisset tam ineptus, qui quærere uellet, Rom. 9. 14. Num igitur iniustitia apud Deum? Quis enim Deũ accusauerit iniustitiæ, si præuisa corruptio eiusq; effecta, ipsum ad Reprobationis decretum impulerit? Nullum prorsus esset locus huic obiectioni. Cur non Apostolus respondit asserens hanc solutionem de præuisa fide & incredulitate? Quám facilè potuisset hac ratione (si hæc uera causa est) omnibus difficultatibus occurrere? Quid opus fuisset exclamatione, O profunditas diuitiæ, tum sapientiæ, &c. Eidem quinetiam Apostolo non tam celebrandus fuisset Deus qui elegisset Ephesios in Christo, quám hi celebrandi qui oblatam benedictionem amplectentes sibiipsis αὐτοὺς electionis fuerunt.

14. Pelagianismus, uel Semipelagianismus necessariò ex hoc falso dogmate sequitur. Nam quid potuit præuidere in hominibus, quod non ipse prius in homines conferre decreuit? Vnde hoc discrimínis exordium, quód hi credant, illi non item, qui tamen omnes & in creatione & in lapsu paris conditionis fuerunt? Vides ergo Dei beneplacitum facere discrimen in iis, ubi nullum erat discrimen?

15. Considerent saltem exemplum Isaaci. Nulla certè opera Isaaci potuit præuidere Deus propter quæ ipsum eligeret, ut qui ne uasculi quidem ex seruili matre, secundum naturam, potuit: ita ut promissio Dei non tantùm bonorum operum Isaaci, sed & essentiæ quoq; ipsius causa fuerit.

Quare cum, ut scitè monuit Augustinus, hac absurda sententia, iudicium non penes signulum, sed penes lutum statuatur: concludimus, Deum nulla præscientia bonorum uel malorum operum inductum ut hos uel illos reprobaret:

*haret: licet, ut mox uidebitur, hæc, quanquam reprobationis causa non sint, iustæ tamen damnationis causa sint.*

*De gradib. salutis et interitus humani generis, qui cadunt in hãc uitam.*

21. Aph. Sequuntur *causæ seu gradus salutis & interitus qui cadunt in hanc uitam*, qui solent *Executio decreti* dici, eruntq; nobis eo diligentius considerandi, quód Deus ad executionem sui decreti non perveniat, nisi per istos gradus: ita ut in executione tandem deprehendatur justissimus, & justissimé exequi quod incomprehensibili modo ante mundum conditum decrevit.

22. Cum dixerimus electos á Deo prædestinatos esse ad gloriam misericordiæ ipsius: jam sequitur, misericordiá præsupponere hominis miseriam: miseriam, peccatum: peccatum, lapsum: lapsum seu defectioné á Deo, antegressam cum Deo conjunctionem: quod ipsum de gloria justitiæ Dei sentiendum est. Gradibus ergo quibusdam tãquam mediis subordinatis, ad finem illum tenditur: quibus omissis, si velis de hac doctrina loqui, necesse erit per præcipitia ruere: nam in his mediis elucescit Dei justitia, quippe quum homo creatus esset justus, spontanea defectione se á vita Dei abalienavit, unde non posset non meritó damnari.

*Gradus illos duorum esse generum.*

23. Gradus hi sunt duorũ generum, *Communes uel Proprij.*

*Communes gradus esse duos, cõmunem integritatẽ & communẽ lapsũ.*

24. Communes sunt, in quibus Deus tam electos quám reprobos paris conditionis & status esse voluit, ut quorum ab æterno misereri vel non misereri decrevit, non nisi interveniente ipsorum integritate & lapsu, misericorditer glorificaret, vel justé puniret.

25. Gradus communes duo sunt, *Communis integritas & communis lapsus.*

26. Deus Adamum & omnes in ipso condidit ad imaginem suam, instructos justitia & sanctitate vera, id est, plané bonos. Quomodo ergo peccati vel damnationis eorum author dicetur, qui tales condidit, ut possent non peccare, ideóque nec damnari? Os ergo omnibus hominibus obstruitur, ne Deum justæ suæ damnationis authorem audeant affirmare: quod adhuc in sequenti gradu manifestius erit.

27. Com-

27. Communis miseria est, in quâ omnes homines, quos Deus ad imaginem suam prius condiderat, cõspirantes cum Satana contra Creatorem suum, quem cœlo deturbare voluerunt, vel saltem ei pares esse in gloria, sponte & deliberato consilio prolapsi sunt.

28. Quis jam authorem lapsus humani generis faciet Deum? qui homines integros creavit, ut possent non labi: quique eos, ne laberentur, ante, & quidem proposito periculo, monuit: & qui eorum voluntatem, ut Satanæ parerent, nullis prorsus ratione coëgit.

29. At dices: Cur nõ Deus, sicut hominem bonum, sic etiam immutabiliter bonum creavit? Respondeo: Quia noluit Deum facere, sed Creaturam? Si immutabilem condidisset hominem, fecisset jam Deum alium, cum nullus sit nisi unus. Cur, inquis, non impedivit ne laberetur? Obsecro! quis eum ob id accusabit, ut qui homini non fuit obstrictus; & qui etiam, licet hic contra Dei mandatum acturus esset, productus nihilominus erat tale inde effectum (nempe gloriam misericordiæ & justitiæ suæ) quale nec homines, nec ipse Satanas, potuerunt unquam expectare? Hoc est quod Augustinus de Corrept. & gratia cap. 9. inquit, Sic Deum ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæq; judicium.

*Cur Deus hominẽ immutabiliter bonum cõdere noluerit.*

*Cur, ne homo in miseriam laberetur, non impedierit.*

30. Qui ergo Deo litem volunt intendere de justa quorundam hominum damnatione, ab his duobus gradibus incipiant: videbunt protinus quid meriti sint omnes, & quid habeant cujus Deum accusare possint.

*Impudentes homines, qui Deum sui interim autorem asserere audent, ad primæuã integritatẽ & uoluntarium lapsum debere remitti.*

31. Iam de gradibus propriis erit dicendum, & quidem eo alacriùs, quòd sint Electionis & Reprobationis certissima βεβαίωσις & τεκμήριον.

*De gradib. propriis, qui duorũ generum.*

32. Gradus proprii sunt, per quos singuli (ut electi per suos, reprobi per suos) tanquam per passus quosdam, ad finem, quem Deus in horum & illorum rejectione & electione præfinivit, deducuntur.

33. Quia distinctio hæc, licet ab æterno facta sit, nobis

primùm post communem miseriam, in qua omnes pari sorte jacebamus, innotescit: fit, ut quidam distinctionem hanc, *Realem electionem & realem reprobationẽ* vocarint; quód tum realiter & conspicuè hominibus appareat, quod tamen ab æterno fuit decretum. Nam vident, licet totum humanum genus in Adamo exitio fuerit involutum: fieri tamen, ut alii ad vitam perducantur, & ita communi illo omnibus exitio eximantur; alii contrà in eodem exitio, in quod sua culpa prolapsi sunt, hæreãt: quod quidem fieri non potest, nisi Deus, qui justissimé in omnes animadvertere potuit, quorundam velit misereri.

34. Mira est hic Dei benignitas, ut qui, cum omnes in scelere & flagitio deprehenderit, ideoq; omnes addicere æternis suppliciis suo jure potuit; quorundã tamen voluerit misereri: qui ne injustus quidem videri posset, si neminem servaret. Itaq; non ego miror, esse tantùm nonnullos qui pereunt: sed miror potiùs qui fiat, ut non omnes pereant et reprobi fiant.

35. Quis jam tam insanus audebit prodire, qui Deum προωπολυψιας accuset, quód non recipiat omnes in gratiam, seu omniũ misereatur? Nam si qua est hic προωπολυψιας species, videtur potiùs in eo quód quosdã recipiat. Vt si creditor cum debitoribus agat de solvendo debito, non tam videtur prosopoleptes in eo, quód á quibusdam exigat, quám quód quibusdam remittat. Sic, si rex quispiam ex duobus pariter sceleratis, uni gratiam faciat, alterum agat in crucem, num idcirco ulla erit in judicio iniquitatis species, quód in istum animadvertat? Imó si qua hic esset iniquitas, non in eo fuerit quód istum puniret: sed in eo potiùs, quód nõ etiam in illum perinde sceleratum animadvertat.

*Electos per tres gradus ad gloriam misericordiæ Dei deduci.*

36. Gradus proprii, per quos electi progrediuntur, ut in eorum tandem salute eluceſcat gloria misericordiæ Dei, tres sunt, *Vocatio, Iustificatio, Sanctificatio*, quam Paulus *Glorificationem* vocavit. Omnes tres generali voce *Regenerationis* appellari possunt. Nam in his nova quædam nativitas, longé diversa ab illa qua in Adamo nati sumus, conspicitur.

37. Vo-

37. *Vocatio* est primus gradus, dum nimirum electi evocantur ex tenebris in admirabilem lucem, & ita á communi reliquorum sorte secernuntur: quod fit, dum patefit ipsis vocali testimonio, tanquam ex Dei ore prolato, quo loco sint apud Deum. Hinc electi vocantur *Ecclesia*. De vocatione.

38. Vocat eos opera hominum, quos sibi constituit ministros: quorum tamen ministerio non ita alligat suam virtutem, quasi non posset quispiam *ἀμέσως* á Deo edoceri, vel etiam per privatam divinorum scriptorum lectionem & meditationem Christianus evadere: sed quód hunc sacri ministerij ordinem ad vocandos & obsignandos electos suos instituerit: in quo acquiescere nos, miraculis nec quæsitis, nec facilé creditis, oportet.

39. Quare licut illos, qui tanquam Magi omnia externo hominis ministerio affigunt, damnamus: sic & Enthusiastas, qui verbi ministerium externum á S. Sancti operatione, quæ verbi prædicari comes esse solet, divellunt, meritò damnamus.

40. Vocationis ergo Dei appellatione, ordinarium Evangelii ministerium, sive Evangelii vocem hominum ministerio in Ecclesia sonantem, & Sacramentorum administratione sancitam, intelligimus.

41. Quanquam annuntiatio salutis per Christum partæ, meritó videri possit *τυπώσις* æternæ electionis eorum, apud quos prædicatur: tamen cum multi vocentur ad nuptias, qui non veniunt; & inter eos qui veniunt, quidam ejiciantur in tenebras exteriores; necesse est distinctione hìc quadam uti, quum Paulus testetur vocatos justificari & glorificari.

42. Vocatio alia est *externa tantúm*, alia est *externa & interna simul*: & de hac nobis hìc sermo est. Vocationem esse duplicem.

43. Externa tantúm, vocari solet *Vocatio universalis*: quia per externam verbi prædicationem omnes pariter tam electos quám reprobos (noli tamen intelligere singulos reprobos. Notus in Iudæa Deus, nec sic fecit omni genti. nec Christus dicit, Omnes vocati, id est singuli, sed Multi. & Dominus Paulum vetuit, ne in Bithynia concionaretur) ad se invitat.

44. Admirabilis prorsus est Dei bonitas, qui eo se usque demittit, ut velit etiam reprobis voluntatem suam revelare, cùm ad id non obstringatur: quin potiùs, cum ab ipso horribiliter defecerint, videtur id facere non debuisse.

*Vocationem efficacē πρότερον esse Electionis.*

45. Externa & interna simul, vocatur *Vocatio specialis*, item *efficax*: & est, qua per verbi sui prædicationem cor aperit electis suis, ut attendant sermoni; vel qua mutat cor eorum lapideum in cor carneū. Apostolus eam appellat *Vocationem sanctam*: nam sanctitatem vitæ ex se parit. 2. Tim. 1. 9.

46. Vocatio distinguitur secundum vitę tempora, ut est in parabola de patrefamiliâs vocante servos in vineam: alii in pueritia vocantur ad Christum, alii virili ætate, alii extremo vitæ puncto, ut latro in cruce.

*Vocationem sæpe contingere extremo uitæ momẽto, ideoq; intollerabilẽ esse audaciam, si quis hominẽ nondum efficaciter uocatũ, pronũciet esse reprobũ.*

47. Cum ergo Deus tam diversis temporibus electos suos, quos ad salutem ante jacta mundi fundamenta destinavit, ad se vocet, nullus sit qui calculo suo judicium Dei antevertat, & fratrem temerè condemnet ut reprobum: potest enim Deus illum, qui nobis reprobus videtur, suo tempore ad se vocare. Donec durat præsentis vitæ tempus, durat etiam tempus vocationis cœlestis, & quidem multò magis tempus sanctificationis, quod perinde se habet atque tempus ætatis. Arborum frugiferarum aliæ initio ætatis, aliæ paulò post, aliæ in medio, aliæ post medium, aliæ tandem in fine fructus suos ferunt: nec minus habetur frugifera quæ in fine, quàm quæ initio fructificat: infrugifera verò est, quæ nunquam.

*De fide et iustificatione per fidem.*

48. Ex vocatione efficaci oritur *Fides*, unde *Fides electorum* à Paulo dicitur 2. Thess. 3. quòd iis solis detur. Act. 13. Hinc electi *Fideles* vocantur. Ex fide oritur *Iustificatio per fidem*. estque hic secundus gradus à Paulo positus.

*De Sanctificatione.*

49. Ex fide manant opera Deo grata, seu vitæ sanctificatio: quæ quia instar primitiarum est æternæ illius beatitudinis, qua glorificabit nos Deus, ideò Paulo vocatur synecdochicè *Glorificatio*. estq; hic jam tertius gradus, & ab hoc transitus fit ad æternam vitam, in qua Deus plenissimè glorificabit electos suos, eritq; omnia in omnibus. Ab hac vitæ sanctitate

ctitate electi *Sancti* dicuntur, & Ecclesia dicitur *Communio sanctorum.*

50. Quia hic est ultimus gradus, qui cadit in hanc vitam; ideo solet sanctificatio tanquam electionis & vocationis nostræ finis constitui. 1. Thess. 4. v. 3. Non vocavit nos Deus ad impuritatem, &c. Proinde Matth. 22. v. 12. dicit paterfamilias: Quomodo introisti non habens vestem nuptialē, id est, non sanctificans teipsum? Ille obmutuit. Conscientia enim hominum ipsos arguit, Christum non vocare eos ad impuritatem.

51. Hæc sunt jam effecta & ἐνεργείαι nostrę electionis, quibus certissimè confirmamur, nos esse in numero vasorum illorum, quæ Deus condidit ad decus: ita ut, quotiescunq; illa in nobis deprehendimus, non magis de æterno illo peculiaris nostræ electionis decreto possumus ambigere, quám si Deum ipsum ab æterno vidissemus oculis nostris illud de salute nostra nobis conscijs decernentem; nec de ipsius in omnibus tentationibus opitulatione magis ambigere, quám si præsentem illum nobis succurrentem cerneremus; non magis deniq; de nostra suo tempore sequutura gloria dubitare, quám si jam unà cum illo in cœlis consideremus. Hinc illa quæ docemur Rom. 8. v. 9. 16. 38. 1. Cor. 2. v. 10. 11. & 2. Cor. 1. v. 22. & 2. Cor. 13. v. 5. 1. Ioan. 2. v. 5. & 3. v. 10. 14. 19. 24. & 4. v. 13. & 5. v. 10. 2. Pet. 1. v. 10.

*Bonis operibus Electionē nostram confirmari, quia ab effectis possumus argumētari ad causam.*

52. Et hac quidem ratione nobis doctrina Prędestinationis applicanda est, ut quibus gradibus Apost. ostendit Rom. 8. v. 30. Deum ad nos adscisendos descendere; eosdem vicissim gradus & vestigia retrolegentes ad eum ascendamus, id est, ut scité quidam dixit, á Deo revelato ad absconditum.

*In applicatione doctrinæ Prædestinationis initiū faciendū á posteriore id est, analytice progrediendum, & ascendēdum á Deo revelato ad absconditum.*

53. Peccant ergo gravissimè, qui seu ascendendo, seu descendendo, vel unicum gradum hujus scalæ prætermittunt: ut ii faciunt, qui cùm eos ad intelligendum æternæ electionis declarationem oportuisset ab imo gradu, id est, á regenerationis fructibus inchoare, uno saltu ad æternum Dei propositum contendunt, & per præcipitia currunt. Perinde faciunt, qui contemptis his inferioribus gradibus, in Dei propo-

situm, á cujus abyſſo eos abſorberi neceſſe eſt, involant: acſi quis de calore ignis ſollicitus, manum in ignem inijceret; nō autem de extrinſeco calore, quem projicit, de eo judicaret. Item, qui prætermiſsis fidei fructibus, veram fidem ſe habere ſomniant. Item, qui & fidei fructibus & fide prætermiſſa, ad externam vocationem aſſurgunt: quaſi extrinſecus vocari ſit ſufficiens æternæ electionis teſtimonium. Item, qui á ſuis operibus, quę bona eſſe ſomniant, ad Dei propoſitum tranſcendunt, quaſi electio á prævisis ipſorum operibus promanet: id eſt, qui quod ſummum eſt, deorſum; & quod deorſum eſt, in ſummo vertice collocant.

*Licet præſentia bonorū operū certiſsimè teſtetur hominē eſſe electū: nō tamen contrá eorundē abſentiā teſtari hominem eſſe reprobū. & cauſa cur id fiat.*

54. Periculoſiſsimè admodum errabis, ſi ſicut ex fidei præſentia & bonis operibus in homine, collegiſti illum eſſe electum á Deo ad vitam: ſic ex eorundem abſentia protinus concludas eſſe reprobum. Certiſsima eſt hæc concluſio, authore Spiritu ſancto: Ego credo. ſum igitur electus in Chriſto ab æterno, & in ipſo juſtificatus ſervabor. Iſta verò abſit ut vera ſit: Chriſtum ignoro, vel Evangelio non credo, neque fidei effecta in me ſentio. ſum igitur reprobus & damnabor. Quis enim etiam electorum natus eſt cum Chriſti cognitione, & quotuſquiſq; ſtatim Euangelio credidit? Itaque non eſt magis neceſſarium hoc argumentum, quàm ſi quis media nocte ita collegerit: Sol non eſt ortus. Ergo non orietur. Quid ergo? Nempe quum ipſi electi ex incredulis, per Dei gratiam evadant fide præditi, & quidem interdum extremo vitæ halitu & momento; inepté & immeritó ex præſente incredulitate & nullo effectorum fidei ſenſu quemquam reprobum eſſe concluſerimus: quum nemo ſit reprobus, niſi qui incredulus moritur.

*Qui ſenſerūt certa teſtimonia et indicia Dei ſpiritū habitāte in ipſis, certos eſſe*

55. Neque minus periculosé errabis, ſi de illis judicium faciens, in quibus olim veræ fidei indicia & teſtimonia apparebant; nunc vel nulla, vel admodum tenuia conſpiciuntur, tales judicaveris eſſe reprobos. Accidit enim plærumque, ut in illa luctâ Carnis & Spiritus, qualis perpetuó eſſe ſolet in homine regenito, ut Spiritus ab altera parte animæ non-regenita oppugnatus, quaſi extinguatur & ſuffocetur: ita tamē,

ut ſuo

ut suo tempore depulsis cineribus, sub quibus quasi tectus jacebat, erumpat. Idem electis accidit in paroxysmis afflictionum, quod arboribus in hyeme, quæ neque fructus neq; folia ferunt: quæ tamen, ubi æstas advenerit, efflorescunt & fructus ferunt, quæ antea videbantur emortuæ.

*de sua electiõe, ideoq; de secutura gloria.*

56. Ratio cur de istis ejusmodi judicium ferre non possis, hæc est: quód decretum illud Dei de electorum salute est immutabile. quod cúm se ostenderit per donationem veræ fidei, quam electis contulit; certum est (cum dona & vocatio Dei ejusmodi sint, quorum ipsum pœnitere non potest) per Dei decretum fieri non posse, ut electi fiant reprobi; ex fidelibus infideles; ex ovibus lupi. Adde quód Christus, qui[illegible] dati sunt electi, fortior est quovis, ita ut non possint ipsi á quoquam eripi: & quos semel recepit, non ejicit foras: & Patrem (á quo certum est ipsum fuisse exauditum) oravit, ut conservarentur in veritate. Et Ioan. testatur, semen Dei manere in electis. Et idem testatur, neminem deficere, nisi qui fuit reprobus: & licet cum piis fuerit, non fuisse tamen ex piis. Et obsecro! quomodo credes in Symbolo vitam æternam ad te pertinere, nisi etiam credas Deum in via te conservaturum, ut ad metam illam pervenias? Hoc illud est quod appellamus *Perseuerantiam sanctorum.*

57. Diximus id per Dei decretum fieri non posse ut excidant: quia regenerati, quantum in se est, plærumq; operam dant, ut á Deo penitus deficiant, & excidant ipsius gratia, neque per ipsos stat quo minus id eveniat: cur autem id nõ accidat, causa est, quód Deus, qui illorum misertus est, eos ex veterno, prædicatione verbi sui excitare soleat, neq; sinere ut peccatum in illis regnet; quod non facit reprobis.

*Nõ stare per regenitos plærumque, quo minus Dei gratia excidant.*

58. Fatemur ergo, interrũpi sępe posse veram fidẽ, & veluti sopiri & quasi amitti, quod ad effectus attinet: sed nihilominus, postquam vel semel illius vel scintilla electo cuipiam data est, illam, si forté accidat ut sub cineribus sopita maneat, rursum á Spiritu sancto, velut flabello quodam, excitari & accendi: haud secus quám vino ebriis, aut lethargo correptis, non mens ipsa (nunquam illis erepta) sed mentis usus restituitur.

*Deum fideles in horrẽda flagitia prolapsos clemẽter aspicere, & in viã á qua aberrarant, reducere.*

59. Hæ-

*Reprobos per tres gradus ad gloriã iuſtitiæ Dei deduci.*

59. Hactenus de propriis gradibus, quibus electi ducuntur ad glorificationem miſericordiæ Dei: ſequuntur *gradus, quibus reprobi ducuntur ad glorificationem iuſtitiæ Dei.* Sunt autem tres: *Derelictio, Induratio, Indurationis effecta.*

*De Derelictione.*

60. Derelictio eſt primus gradus executionis juſtiſsimi decreti Dei, qua Deus homines in peccatum lapſos, in naturali illa corruptione deſerit & relinquit, nec dignatur illos efficaci vocatione, aliquando nulla prorſus.

*Quód Deus quoſdam nõ uocet, iuſtiſsimé ab eo fieri.*

61. Tantum abeſt, ut Deus injuſtus videri debeat, quód quoſdam deſerit: ut contrá, niſi ſe mali hoſtem & vindicem eſſe in aliquibus oſtenderet, ſuiipſius oblitus meritó videri poſſet.

62. Quum Deus dicitur reprobos derelinquere, non eſt putandum, eum eos ita derelinquere, quaſi ceſſet ipſorum reſpectu Deus eſſe, & ita eximerentur ipſius imperio. minimé gentium. neque enim ſcelerum eorum ocioſus ſpectator eſt, ſed judicis partes obit, idq; non uno modo.

*De Indurationе.*

63. Hanc derelictionem ſequitur *Induratio*, id eſt, ingenitæ corruptionis incrementum. Nam cum naturâ hoſtes ſint Dei, neque ea quæ Dei ſunt cognoſcant: tantum abeſt ut naturalis corruptio per eos minuatur, ut contrá indies amariſſimos fructus corruptionis ſuæ producentes, ex malis ſceleratiores, ex duris duriores indies evadant.

*Cum Reprobi dicuntur indurari, nõ ſignificari illos ex mollibus duros, ſed ex duris duriores euadere.*

64. Ne quis ergo tam ineptus ſit, qui, cúm audit Deum aliquem excæcare aut indurare, protinus arbitretur, Deũ ex illuminato & videte cæcũ facere; ex molli & flexili ad obedientiam, durũ reddere; denique ex bono in malũ convertere. abſit. Sed cum omnes reperiat cæcos, ſurdos, &c. quoſdam illuminat, &c. quoſdam pro ſuo juſto judicio, non ſolúm in tenebris deſerit, ſed etiam eorum peccata peccatis puniens, eos magis excæcat induratq; : perinde ac Sol, quo vehementiores radios in cadaver mittit, eo majorem fœtorem excitat: neque interim quiſquam eſt tam inſanus, qui audeat radios Solis fœtoris incuſare.

*De Indurationis effectis.*

65. Indurationem ſequuntur *eius effecta, ſeu continua ex peccato in peccatum uoluntaria progreſſio* (& ita quidem voluntaria,

ut ſi

ut ſi á Deo per Prophetas moneãtur, ut ab hac flagitioſa vita deſiſtant, indigniſsimé ferant) ita ut, niſi Deus pro ſua clementia, horum inſaniam, ne perpetuó ebulliret, coërceret nonnunquam, nec humana ſocietas, nec mundus hic propter iſtorum hominum & Diabolorum furores, ad momentum poſſet ſubſiſtere.

66. Si ergo vel ſola illa propagata corruptio, inter perdendi decretum, & ejus decreti executionem interveniens, Deum ut juſtum judicem ab omni injuſtitiæ ſuſpicione abſolvit; quis cum illis injuſté agi exiſtimaverit, qui, corruptionis ſeu lapſus illius amariſsimos hos fructus edunt.

*Reprobos horrẽdis ſuis flagitiis iuoſtam damnationem ſibi accerſere: ideoq; nõ eſſe, quód culpam ſui interitus cõjiciant in Deũ.*

67. Manifeſtum etiam eſt, damnationis reproborum cauſam in eo non eſſe, quód Deus reprobis reſipiſcere volentibus obſiſtat (nam hoc illis in mentem unquam venit: impœnitentia eorum voluntaria eſt, non coacta) multó minus in eo, quód eis reſipiſcere volentibus non efficaciter ſuccurrat vel adſit.

68. Hos tres gradus ſequitur juſta reproborum damnatio, qua cum Diabolo & angelis ipſius æternis ſuppliciis addicentur ad gloriam juſtitiæ Dei, quod quidem fiet ſolemniter in extremo die. Et de Prædeſtinatione hactenus.

Rom. 11. v. 33.

*O profundas divitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles! 34. Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit á conſilio? 35. Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei? 36. Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia. Ipſi ſit gloria in ſecula. Amen.*